



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Acta Apostolorum to. primus

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

6. Seruituti eos subijcient, & malè tractabunt annis 400.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39424

CAP. VII.

6. *Servituti eos subijcient, & malè tractabunt annis 400.*

OMNES hoc loco horum temporum hæretici, & ipse post alios Bezza, Rabbinorum potius calculo quàm apertæ Scripturæ subscribunt, circa annorum numerum quibus filij Israel in Ægypto versabantur. Solis enim 210. annis ibi eos versatos fuisse volunt, annos verò 400. ut hîc loquitur Stephanus, à nato Isaac computatos esse. Sed disertissimè Scriptura contradicit, non solum hoc loco (dicente Stephano, *Servituti eos subijcient, & malè tractabunt annis 400.* sed & eo in loco ubi prima prædictio huius longinquæ peregrinationis facta est, dicente Deo ad Abraham: *Scito prænoscentis quod pere-* Genes. 15
grinum futurum erit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos servituti, & affligent 400. annis: perunt autem gentem, cui servituri sunt, ego iudicabo. Quod de sola gente Ægyptiorum intelligi potest. Rursum alio in loco dicitur clarissimis verbis: *Habitatio filiorum Israel, qua man-* Exod. 12
serunt in Ægypto, fuit 430. annorum. Vbi 30. adijciuntur, quia aliæ Scripturæ, more solito, hos impares & fractos numeros prætermiserunt. Accedit Pauli testimonium hoc eodem in libro: *Distribuit eis terram Chanaan.* Act. 13.

E. 2

quasi

quasi post 450. annos. Nam ab ipso exitu de
 Aegypto, usque ad distributionem terre
 Chanaan sub Iosue, quasi 50. anni fluxe-
 runt. Vnus alius Pauli locus negligentius
 inspectus contra tam multa perspicua &
 euidentia loca refractarijs hominibus erro-
 ris causam dedit. *Testamentum confirmatum a*
Deo (ait Paulus) scilicet Abraham, quod in se-
 mine eius benedicerentur Gentes, *quæ post*
430. annos facta est lex (scilicet in deserto per
 Moysen) *irritum non facit*. Quod ait Paulus
 legem post 430. annos factam, non ita di-
 cit ut illi 430. anni ab ipsa promissione
 Abraham facta computetur, sed Moysis ver-
 ba Exod. 12. ad verbum usurpat; nec aliter
 intelligendum est, quam ipse Moyses claris-
 simis verbis supra citatis expressit. Rabbinii
 cæci & superbi non putabant ex honore
 maiorum suorum fuisse quod totis 400.
 annis in Aegypto seruirent. Ita apertam
 Scripturam contaminarunt: nec aduerte-
 runt fieri non potuisse absque ingenti mira-
 culo ut 210. annorum spatio 72. homines
 qui in Aegyptum descenderunt, sic multi-
 plicarentur, ut ex illis sexcenta millia homi-
 num armatorum, præter innumerabilem
 aliorum multitudinem, inuenirentur quum
 Aegyptum exirent. Sanè illa 4. loca Genes.
 15. Exod. 12. Act. 7. & 13. ad nullum aliud
 tempus referri possunt, quam ad ipsam ha-
 bitationem & afflictionem Aegyptiacam.

Scriptura
 concilia-
 tio.

Galat. 3.